

tè patent, unde si talis solutio est non ens, est quoque eadem minimè vera.

Pergit tamen nos urgere ratione Crollius, quam melioris intelligentiæ ergo, placet formaliter resolvere. Ita ergo ille ratiocinatur. Q. in corpus redigi potest, id non deducitur in melius. Aurum autem non radicaliter solutum redigi in corpus potest.

Ergo aurum non radicaliter solutum non deducitur in melius.

Propositio Major ita probatur. Q. Crudum est & indecoctum, nullam alterationem, vel solutionem physicam passum, id non deducitur in melius. Ratiocinatio me Hercule satis speciosa & plausibilis, in cujus tamen syllogismo priore, Majorem propositionem, ex ipso evertemus Crollio, subsumo enim Antimonium diaphoreticum (rectius Mercurium Diaphoret.) Crollii, omnesque alia mercurii præparaciones, ejusdem salia, Coralliorum, perlarum, vitriolum artificiale, Veneris, Saccharum Saturni. Hæc inquam omnia, in corpus rediguntur suum. Mercurius nempe Diaphoreticus, aliaque mercurii præparaciones omnes, cum sale tartari commixtæ, ignique aperto in retortam submissæ, reddet in recipiens vas subjectum, vivum & corporalem mercurium: Salia coralliorum, perlarum, in arena distillata, liquorem quidem solventem, cum quo erant, in salis formam condensata, in receptaculum transmittent, ipsa verò corpora in forma lapidum pulveratorum remanebunt, in vase distillatorio. Vitriolum solve in aqua communi, præcipita cum lixivio tartari, præcipitatam ex viridi flavescentem